

JACOB BALDE FRAGMENTA SATYRAE CRISIS INSCRIPTAE (1036 vers)

AD PAULUM SFONDRATAM POEMA.

- C1 v.1 Non satis est culpasse alios : culpemur et ipsi,
 2 ac quid de nobis dicatur, qua licet, et res
 3 intercisa sinit, vacuas referamus ad aures.
 4 Diversos hominum mores, diversa Frobeni
 5 judicia, ac sensus, libertatemque loquendi
 6 hic ad Danubium mecum mirare sub umbra
 7 populea : tamen Alcides requievit eadem ;
 8 quid mihi contingat, tibi quod contingere possit,
 9 si vacat, et pateris, paucis, adverte, docebo.
 10 Vivitur hoc pacto, facile est incurrere ronchum,
 11 illotasque manus, posticae opprobria sannae.
 12 Conveniunt Momi tanquam mihi fixa sit hasta.
 13 Utque in bubonem magno clamore diurnum
 14 exstimulantur aves, confertaque spicula tendunt ;
 15 obvius infestis sic obruor undique telis.
 16 Omnia sunt nugis, sunt omnia plena querelis.
 17 Pars ad me venit : partem dispersit in auras
 18 ventus : eunt timidi plures, et dicere mussant.
 19 [Lacune]
 20 cantemus. Patronus adest ; cum provocat actor.
 21 Ipsum non pallet bene conscius ad Rhadamantum.
 22 Censurae semper pene in contraria vergunt.
 23 Quod probat hic, damnant alii ; quae damnat Acestes ;
 24 vindex Varro probat. Defendor, et arguor idem.
- C2 v.1 Quod felix faustumque fuat, mihi quod bene vortat,
 2 incipiam. Princeps igitur sic inchoat Astur :
 3 nescio, quale chaos sit in isto corpore, frigus,
 4 an calor excellat ? Sanguisne, an phlegma redundet.
 5 Quatuor ex primis quis sit praetorius humor ?
 6 Quisquis is est, certe non est innoxius humor.
 7 Tam varios fluit in gyros. Huic tristior : illi
 8 laetior apparet. Quondam morosior isti.
 9 [Lacune]
 10 ignoras prorsus, sit Minotaurus, an hirco
 11 miscuerit cervum natura, lupone columbam ?
 12 Audiit hoc Mnestheus ridens : quid ? Si iste palumbus,
 13 cur longum nasum praetendit vulturis unci
 14 gingivam queritur (dubium) intellectus inermem :
 15 et tamen absentes, praesentes tam male mordet.
 16 Nempe ideo subicit Boscas, quia non bene dentit.
 17 Tappus ait. Si felle caret, cur surgit in enses ?
 18 Cur scribit Satyras ? Si flavae bilis abundans
 19 implicuit folles : cur saepius obstruit iram ?
 20 Ac ne transfumet, placido componitur ore,
 21 tam facilis, quam quos pituitae copia tentat ?
 22 Non videas illum ringi Marsae suis instar,
 23 aut uno cursu per devia quaeque Damascum

- 24 tendere, quo raptu fertur Paragellus Agilleus,
 25 qui simul ac conscendit equum, pedes aequora campi
 26 pervolat irarum spirans ; tum verberat auras
 27 calcibus, et tranat nubes, ceu Perseus olim
 28 motu continuo. Nunquam respectat, iterque
 29 conficit immensum. Quis credat, vespere nondum
 30 exacto, est idem Manno rediturus eodem :
 31 efflantem Pyroen flammas hic mannulus anteit.
 32 Nec se Bucephalus, Zephyri nec comparet ala.
 33 Noster testudo est. Quam languidus indignatur.
 34 Quam tarde incedit ! Stadio lassatur in uno.
 35 Imo, ait Arnoldus, momento permeat orbem.
 36 [Lacune]
 37 est alter Proteus, ac pene Tigellius alter,
 38 quo mirabilius, Flacco testante fuit nil.
 39 O Abderitae ! rumpit suspiria voce,
 40 Sergestus, si prima latet vos linea vultus,
 41 abdita qui mentis dignoscere sensa potestis :
 42 conciliumque animae secreta in parte negantis
 43 ire sub aspectum, vel prodere, quae coquit intus.
- C3 v.1 Contendebat Agir, nascenti sidere faustum
 2 fulsisse, et radiis Genesin lustrasse beatam.
 3 Hinc geniale jubar, gracilisque Agathyrsus, et expers
 4 turpis aqualiculi, vernansque in corpore sanguis.
 5 Et sita laetitiae sacris in vallibus ora
 6 hinc et amor doctae testudinis, atque Thaliae,
 7 conchaque pura salis, felixque Annona jocorum.
 8 Vix haec, cum Pitrox audax : horoscopus, erras,
 9 adversis natum fati, avibusque sinistris
 10 proclamat, dicitque palam : non sidera faustum,
 11 fulsisse, et genesin cunis jacuisse malignam
 12 Scorpius, inclemens astrum, quod brachia curvat.
 13 Extremae natum perstrinxit acumine caudae.
 14 Cum Mars Saturno falcem infregisset acutam,
 15 Mercurii langueret apex, talaria plantis
 16 deciderent, geminique angues, interprete virga.
 17 Hinc furor exultans, animique poetica moti
 18 tempestas, et amor saturarum, atri que veneni.
- C4 v.1 Milvus adest, Crispusque suo cognomine dignus,
 2 acriter exorsi, atque procaciter : hic homo nunquam
 3 non mihi displicuit, tam crudis moribus et tam
 4 enormis Cyclops. Tam rancidus, in- que -ficetus.
 5 Praetereo sordes, nimium quas praeterit ipse.
 6 Nam matutino quoties se flumine lustrat ?
 7 Non est munditiae, Venetae non cura saponis ;
 8 impexum, illotum, incultum, quae Gratia amaret ?
 9 Nec Erynnis opinor.
 10 Stoicus et Cynicus spectrum miscentur in unum.
 11 Vix a Cardani vita discernere possis.
 12 Scilicet ut squalent extra, sic omnia et intra.
 13 Forsitan, iniecit, quo non solertior alter,
 14 Bagophanes Sciolus, curis majoribus actus,
 15 negligit inferiora sui. Laudabile, corpus
 16 non nimis excolere, et turpe est ad pascua vatem
 17 projectum, thermis, formae, pecudique vacare.

- C5 v.1 Sed cur erigitur rigidi pilus instar echini,
 2 Cum tamen Euganeae lana sit mollior agnae ?
 3 (Huc quoque processit censendi dira libido !)
 4 Erectos etiam, mollesque, insane capillos ;
 5 objicis ? At tales, si quidquam credis, Athenis,
 6 ille sophus laudat, qui discurrebat eundo.
 7 Plura cupis ? Vertex tantae sacer arboris, annos,
 8 intra ter denos rastrum non sensit eburnum.
 9 Sed neque pungentis cephalae spicula sensit ;
 10 non sensit laesi metuenda Ceraunia nervi.
 11 [Lacune]
- C6 v.1 Instat Aretinus pronepos Samuelis Amolli,
 2 Tuscus avo : patre Germano : prope flumen Anassum
 3 progenitus vendente piper.
 4 Ille quid ? Invisum Superis hoc censeo frustum
 5 qualiscumque hominis. Cui non fastidia visus,
 6 ingerit ? Horrorem creat, occiditque videndo.
 7 Jam cupit, et torvus, taurina fronte videri.
 8 Atque (utinam voti media plus parte beetur !)
 9 Conscripsit librum, deformavitque venustos :
 10 absurdis gaudet : modo dissona et absona promas.
 11 Applaudet. Liceat modo vivere
 12 loripedem recto praeponet, et Aethiopem albo ;
 13 indoctum Baracen callenti jura Rebuffo.
 14 Expecto donec declinet prodigus Istrum
 15 in caput, et contra fluvium natet ...
 16 Jam speculi lucem, jam dentes pectinis odit
 17 haud equidem nivei barri, sed dentibus apri
 18 dignior, aut quantos tenero lupus imprimit agno.
 19 Quando ita vult, sit deformis, maneatque per aevum,
 20 subscribimus ultro.
 21 Illo vix Briareus formosior
 22 Polyphemum, et Alastora vincat.
 23 Invideat pulchris, rugasque ostendat aniles.
 24 Sed num servabit leges. Quas sanxit ineptas ?
 25 Quis scit, an in speculo sua non consideret ora.
 26 Aut fontem inspectet ; nisi forte horrore Medusae,
 27 quae sedet in medio, fugiat cognoscere vultum.
 28 Cur non in sylvas sese et stabula alta ferarum
 29 abdit ? Ibi fratres torvos, torvosque sodales
 30 inveniet, Regis Chaldaei facta secutus.
 31 Torva boum facies, getuli torva Leonis.
 32 Torva est ursorum, torvo sunt ore bisontes.
 33 Et bene cornuto cognatus bubalus uro.
 34 Bistonas, Odrysiosque adeat Rhodopenque nivalem,
 35 torva reperturus populi portenta ferocis.
- C7 v.1 Incessus qualis ? Quo vespertina Colossi
 2 umbra cadens, graditur passu ! Jam qualis amictus ?
 3 Nil decet hanc statuam. Circumda, quidquid ubique est
 4 Aebaliae, Tyriaeque togae, variaque figuram ;
 5 muta quadrata rotundis.
 6 Vestitus quadratus erit : quadratus et ipse est.
 7 Nil decet. A tergo, seu mantica pendeat ante,
 8 Pertica velatur oblonga, vel aeneus Hermes.
 9 O Davi ! Pterelas, Pterelas, ita farier infit.
 10 Tantane dos habitus ? Monstrari in Cyclade longa,

11 verrentem terras, ac mollia colla gerentem,
 12 femineum a primae. Racostas novit
 13 grammaticus : puerile decus, puerilis imago
 14 sunt puerum ludus, puerilia gaudia rallae.
 15 Scimus, quid crocet textum velanten achanti,
 16 Ilione quod gesserat olim,
 17 maxima gnatarum Priami, colloque monile
 18 baccatum.
 19 Ornatus Argivae Helenae ? Sic femina compta
 20 incedat. Vates non nescit : splendidior
 21 quod, quicumque virum splendenti in veste puter se ;
 22 finxerit hunc olim celeberrimus ille Maronis
 23 sulphurea Nar albus aqua, quo Teutida prolem
 24 plurima nunc Matrona lavat. Mos desiit ille
 25 ut Rheno (quid non minuit vitiosa vetustas ?)
 26 Jam vino infantes genus explorante lavantur.

C8 v.1 Eloquar an sileam ? Tantem gratare Frobeni,
 2 sedulitate probor.
 3 Saltem aliquid laudis inest
 4 densa me indagine rerum
 5 obseptum commendat Hylax : modicumque sopori,
 6 noctes, atque dies studiis impendere, credit.
 7 Nec male : nam quaesitus ait si
 8 Quis dubitet ? Est totus in illis.
 9 Heu nihil invitis fas quenquam fidere divis
 10 haec quoque decutitur mihi laus. Contrarius Umber
 11 (sed doctos inter qui rectius umbra vocetur)
 12 nil prorsus dixisti. Quanta ignavia fuci ?
 13 In terris unquam frugi fuit Alsata visus ?
 14 Novi hominem ; noctem musis non consecrat unam ;
 15 ut scabat ille caput, digitos arrodant et ungues !
 16 Judaei credant, etiam loti atque togati
 17 [Lacune]
 18 dum quatit attonitam mentem fanaticus ardor
 19 multa cadent inter lupulos, supremaque labra.
 20 Vitibus a madidis pendet. Cum vanuit humor,
 21 tunc choreae mentis cessant, Gluckersius inquit :
 22 nec pedibus motis ad cantum carmina saltant.
 23 Argumentum Umber conductis follibus urget.
 24 Nam quando auroram vigilat praevertere ? Quando
 25 affixus pluteo ; sicut pallentibus undis
 26 Actius, et frater Corybas ? Sata, jugera, villas,
 27 prataque prospectu fixo metitur, et arva,
 28 dispersasque domos, - praeterque fluentem
 29 nec procul hinc falsam, cervorum pascua cretam.
 30 [Lacune]
 31 ac ne visa procul fallant confusa remotum,
 32 concava convexo sociat crystallina vitro,
 33 exacuitque oculos, et languida lumina torno
 34 roborat, anticipans longinquos mille colores,
 35 observare vates, venientum discere vultus,
 36 officii pars est, puto non postrema diurni.
 37 Praefectum credas ad vectigalia nauulo
 38 desuper excubias agere, et dare classica velle.
 39 Pars quota curarum sellae datur, atque labori
 40 Palladio ? Aut quoties visus cum
 41 (o dira calumnia, quantum

42 in nos juris habes !)
 43 Nisi forte Lybistidis instar
 44 alitis obtutu sua solo excluserit ova.
 45 Cunctane per somnum didicit, vel discit inertem ?
 46 Otie quo titulo manifesta negotia fiunt ?
 47 Cum res ipsa manum poscis, nil manca voluntas
 48 prodest. Exsertis peraguntur bella lacertis.
 49 Ajacis gladius quo ? Si vagina recondit ?
 50 Rubigo ingenium non tantum perdidit unum.
 51 [LACUNE]

C9 v.1 Sermonem abruptit Maruli jucunda senectus
 2 is causam nostram patroni more profunda
 3 strenuus ex animi radice medullitus egit.
 4 Dormiat, an vigilet, quem tu traducis acerbe.
 5 Algeat, an sudet ; spatietur, an ille quiescat ?
 6 Sub Schino, an Prino soleat latitare, quid ad me ?
 7 Nescio ; nec nostrum est alienas cedere vites.
 8 Quid faciat Corydon, exploret lictor Amyntas.
 9 Hoc scio, cum summis in turribus ambulat index.
 10 Circuituque suo labentia tempora signat,
 11 non tardare rotas, nec stare, sed usque moveri.
 12 Quo tendam, ipse queas, si vis, deprendere verum.
 13 Quid quid Anaxagoras prisco garriverit aevo,
 14 haud temere, vel fortuito casa rustica surgit.
 15 Nedum Pyramidum moles, laqueataque tecta.
 16 Ergo spectanti monumenta, industria certa est.
 17 Plurima jam praelo subjecit olentia cedrum,
 18 nocturnasque faces, et succum mitis olivae.
 19 Successusque probant operam : ni temporis esset
 20 parcus, et admensas se partiretur in horas,
 21 nunquam aspexissent lucem Junone secunda
 22 [Lacune]
 23 sed manica excussit ? Cur tu non excutis aequae ?
 24 Qui tantum lauri tibi consumpsisse videris,
 25 quantum sufficiat centum ad jentacula capris ?
 26 Hoc habet ! I verbis virtutem illude superbis.
 27 Mente profanata turbatus inhorruit Umber,
 28 non aliter, quam qui de fonte Silesius hausit
 29 Schepsiaco laticem cerebro tenuis aestuat amens.
 30 Corrugat frontem mirabilis intus in hirnīs.
 31 Perrexit Marulus tamen, et sic institit ore.
 32 Naviget, aut equitet, vates hic ubique laborat.
 33 Secum qui gestat Parnassum in vertice vivum.
 34 Non sella, non ille loco, non limite circum-
 35 scribitur ; ad stivam, pharetram, remosque, tubasque,
 36 et cyathos : media cantare licebit in urbe.

C10 v.1 Parte alia nova lis oritur : tonat altera nubes.
 2 Equid in his nugis totam consumere vitam ?
 3 Desine, ait Cucuphas, jam tandem, Aprinasque relinque,
 4 fabellasque tuas, Acheloon, Adonin et Acin
 5 Egeriamque, et Leucotheen, Semelenque, jugali
 6 igne fere exustam, Dryopenque sub arbore versam
 7 arboris in ramos, cumque Alphaeo Arethusam
 8 quid juvat Alpheae meminisse, Galanthidis ore,
 9 Andromedae captae ? Quid Cepheos et Meleagri ?
 10 Salmacis, Ocyrhoe, Melicertes ? Cyllarus, Iphis

- 11 nomina vana sonant, et sunt sine pondere verba.
 12 Sat Phoebo, musisque datum, Clivoque bicorni :
 13 Fama, quae parta est, potes hinc contentus abire.
 14 Jamque undena premunt lustra incurvantia dorsum.
 15 Non sentis annos ? Tibi jam vicina senectus
 16 imminet, et scapulas pulsat vespillo Diaulus.
 17 Si nondum omnino viridis deferbuit aestus,
 18 utilius cathedras magno, et lato ore ferires ;
 19 intentus crotalis sacra, et divina relinques.
 20 Aude aliquid : bene coepta etiam, quaecumque ea, merge
 21 Danubio ; vehet hic vitulis donanda marinis
- C11 v.1 Ne faxis, inquit Capito, Capitonis Osannae
 2 filius, ex Rheno nostras transmissus in oras ;
 3 deliciosne tuas Cyrrham, Cytheramque remittes ?
 4 Sed neque diversis studiis tot sufficis unus.
 5 Pectora nostra duas non accipientia curas ;
 6 olim aliquis monuit, qui te commonitum vult.
 7 Nec durant violenta diu : quod cogitur, haeret,
 8 Hoc ipso, ut navis sine ventis, et sine remis.
 9 Debilis inviti vigor, et natura labascit,
 10 et torpent animis, seque ad meliora reservant.
 11 Adjice, quod graciles, et longi, quando canoram
 12 tendere coguntur vocem, crebroque caducum
 13 exercere latus, lassentur, et ilia ducant.
 14 Laeditur et pulmo, donec titubata fatiscat
 15 machina, et extremam facies fluat omnis in umbram.
 16 Noli fata tibi toties contraria flecti,
 17 lanificamque Deam expertam superare precando.
 18 Aut anima exhibit cum sputo sanguinis atri.
 19 Evasisse sat est jam bis
 20 qui studia Aonidum adrodunt, dictisque laccessunt,
 21 ceu divina minus (quae se ipsam fama refutat.)
 22 Atque adeo non digna viris caelestibus : illos
 23 mitte in Narboniam, primosque invade, Lupi ceu,
 24 quos atra in nebula rabies exegit edendi.
 25 Hi Satyram, Entelli caestus et lora merentur,
 26 insuto plumbo. Quid sancta superbia dicis ?
 27 Stulta, inquam, magno flatu dirumpere ! Vana
 28 omnia sunt vanis : sacris sunt omnia sacra.
- C12 v.1 Quem numerum augebis, si pergas dicere : dixi.
 2 Buschius addiderat Visurgi notus et Oeno ;
 3 quid prodest tandem magni Demosthenis Eipa
 4 Excrevit lato praeconum copia cornu,
 5 qui sine sine tonent. Nec stentor Homericus unquam
 6 defuerit, solidas rumpens clamore columnas.
 7 Pulpitaque innumera manuum vibice cruentans.
 8 Ingens picarum grex est hinc inde volantum.
 9 Rostris plena omnia rostra.
 10 Haud itidem Divum sunt tanta examina vatium.
 11 Haud itidem ? Occurrunt Calecutius, et Polipercon ?
 12 Cuncta poetarum segmentis atria squalent.
 13 Totus tamen orbis abundat
 14 his cannis. Passim inflantur. Dic in quibus agris
 15 urbibus, aut pagis, cauponarumque tabernis
 16 non istae, quamvis steriles, dominantur arenae ?
 17 Buschius exceptit : steriles ? Concedimus ultro ;

18 fecundae sed ubi ? Facundae, aptaeque, volebam
 19 dicere. Pegasidum studiis et Apollinis ori
 20 non quivis Mopsus patulae sub tegmine fagi
 21 sylvestrem tenui musam meditatur avena,
 22 quanto bella minus ! Nam tunc opus arma sonare,
 23 aere ciere viros, Martemque accendere cantu.
 24 Audacter sane vates tu mille recenses ;
 25 omnibus excussis, totidem vix invenies, quot
 26 arca antiqua tulit centum fabricata per annos,
 27 in summa fluitaret aqua cum naufragus orbis.
 28 Occursant multi baccas cum fronde ferentes,
 29 arida stramineae meriti ramenta coronae.
 30 Sic crescit numerus. Sic una nocte trecenti
 31 attollunt fungi capita, et moriuntur eadem.

C13 v.1 Post hos arrepta est Blanco data copia fandi :
 2 Hoc odi, sibi quod cerebrus serviat uni ;
 3 Quippe sui capitis : propria dominatur in arce.
 4 Impatiens aliena sequi
 5 ab invito quando extorquebis iambum ?
 6 Hoc, aliudve petes, digitos quasi pectine junget.
 7 Crispabit nasum, dubitantia contrahet. Ora,
 8 praetendet causas, et frons erit unica ruga.
 9 Nitimur in vetitum. Mandes quodcunque poema,
 10 protinus historiam scribet. Conscribere justus
 11 temporis acta sui, fastos implebit inanes.
 12 Nil adeo varium magis, ac mirabile vidi.
 13 Sic est. Infixum Venusini haerebit, et haeret
 14 omnibus hoc vitium cantoribus : inter amicos
 15 ut nunquam inducant animum cantare rogati ;
 16 injussi nunquam de sistant olli
 17 Hoc vitio quoque majus inest. Maria ima subibit,
 18 si terram monstres. Missum super aequora, portu
 19 insula suscipiet. Cretae pertaesus, et alas
 20 sumet, et ignotas animum dimittet in oras,
 21 naturamque novans, disponet in ordine pennas,
 22 a minima coeptas, longam brevior sequente,
 23 ut Clivo crivisse putes ; dicetque volando :
 24 omnia possideat, non possidet omnia Minos.
 25 Sume novum specimen : quibus exagitatus echinis,
 26 qua furia linguam fundo tenuis eruit Oscam ?
 27 Heu quanto satius stygia tellure repostam ?
 28 Serpentes medios audita vocabula rumpant,
 29 Tisiphoneque tuos, si non avertere tentes.
 30 Vocibus heu nostras incestis polluit aures.
 31 Olli sedato respondit corde Latinus,
 32 non minus ille potens Evandria dicere verba.
 33 Frustra obstringillas raude, et sine Apolline, Blance.
 34 An non Casmenas tapperque, atque ampliter Oscas
 35 Ruspatus dedit in lucem, Axamenta Cnephosa,
 36 Mangante veterum de fonte anclans hilarodes,
 37 sitilet ut vulgus : contempla, quanta labose
 38 gnariget artitus : quae clutriet, atque returdet
 39 Hautmenta, et fallas, quippe et popularia nexens
 40 faminat, obscuros, qui adrumans expatat orbi
 41 Pacuvios : cossisque catus det alebria musis.
 42 Clivia sunt, fateor, sed matrescentia linguae
 43 semina Romanae, quum nansceret : illaque taxim

44 tempestoque modo urvarunt pulchraliter Urbem.
 45 His me defraudes, et aventes plissima nosse ?
 46 Tunc primum Caperon animum haec in verba resolvit :
 47 utilis ingeniis libertas, laetaque cursu
 48 provehit, et faciles laxat, non stringit habenas.
 49 Sunt quidam vili vel natio sorte, vel illa
 50 damnati : quod nil nisi vincula, flagra, triremes,
 51 Numellasque crepent ; aliis nec legibus artes
 52 ingenuas tractant. Lictoris filius Harsa
 53 cuncta ad dimensum Plauti servile reposcet ;
 54 nam sic assuevit dimensus partibus octo.

C14 v.1 Mancipia oderunt musae, servosque revinctos,
 2 et juga dura boum asinique capistrum.
 3 Non nisi equum Parnassus habet, quem penna gubernat
 4 expertem freni. Labor est inhibere volantem.
 5 An non dedecorum passim ludibria prostant ?
 6 An non se cruciant ; animumque, operamque Faliscus
 7 perdidit, et lacrimas ? Quanta voluptas
 8 Regis in obsequium clittellas ferre rubentes !
 9 Invitum calidam thalamis suspendere myrthum !
 10 Infantis Clario vagitum sistere sistro !
 11 Parvis Ascaniis puerilem appendere bullam !
 12 Paupertas pejora jubet, studiumque placendi.
 13 Exanimatus erit Tiphys, vel avarus Iason,
 14 aut quisquis demum - - vexare jubetur
 15 ridentes oculos Italis humoribus, utque
 16 praefica venalis nummum explorare triente.
 17 Carminibus paries fuis quacumque palude
 18 maeret, et admixti coguntur flere colores,
 19 tunc Helicon clarus, tunc sunt in honore poetae ;
 20 crastina cerussam mox spongia diluet omnem,
 21 abstergetque decus.
 22 Exanimés ipsi fiunt nova funera, versus ;
 23 et quem planxerunt, tumulo sternuntur eodem.
 24 [Lacune]

C15 v.1 Successit Baleron, nec convenientia semper
 2 suadentur scribenda : locus, tempusque, modusque
 3 deficient
 4 quaedam siles prudentius : aevo,
 5 Cum fax in cinerem sedit. Permissa sequenti
 6 omnia dici
 7 non patitur livor, non formidabile verum :
 8 nam quidquid dicas, terrent exempla priorum.
 9 Non sunt blanda omnia tanti.
 10 Armataeque preces, sperataque bractea famae,
 11 ut pergas versare molam, quam desuper urget
 12 Glatta, molam versare piger, tritaeque papyri
 13 servandos nigris modios immittere saccis,
 14 sicut nempe solet defundi ex ore farina
 15 Tutelam in castris, seclis servanda duobus :
 16 non festinamus honoris
 17 qui post fata venit. Solers et Janus utrinque
 18 consumi vano refugit, stultoque labore,
 19 cautior ambiguo praesens proferre futuro.
 20 Nimirum chartae felices, atque tabellae,
 21 quas tineae rodunt, cistae, forulique recludunt !

- 22 [LACUNE]
 23 Scilicet ut lector verso te pollice damnet,
 24 prostituas fessi scribendo pollicis unguem.
 25 Est aliquid lintrem non omni credere vento :
 26 sic calamum libris : nulla hic aenigmata texo.
 27 Qui nares habet, olfaciat. Non sicut reor, omnes
 28 vervecum in patria, crassoque sub aere nati.
 29 Multa quidem dicuntur
 30 assensum praestare piget.
 31 Sic credere cogas
 32 credam, sed timide.
 33 Non est dementia major
 34 quam furere incassum : furit autem quisque arenam
 35 horridaque adverso proscindens vomere tesqua
 36 ex tribulis sperat ficus, ex sentibus uvas.
 37 Frigida quid possunt super haec promissa, nucesque
 38 verborum cassae ? Fiet, si navis Athenas
 39 venerit. Expectes hac conditione peracta.
 40 Te fore nummatum ! Fiet li gemmea grandio
 41 deciderit, riguique pluet torrentibus auri.
 42 Addidit Albinus prisca candoris amicus :
 43 vitae summa brevis certam nos figere metam
 44 conspicuamque movet. Longe distantia raro
 45 tangimus : adversis jaculum impredientibus austris,
 46 inter- enim -veniunt casus, mortisque sagittae,
 47 propositumque volans sistit lethalis arundo.
- C16 v.1 Talibus alternant studiis et amicus, et hostis ;
 2 sum scopus illorum, quorum os, et cor pharetratum est.
 3 Sed tamen Herciscis placeo, dulcique Molardo.
 4 Candidus affirmor, nec non sincerus, aperti
 5 pectoris, a puero multum qui lactis ovini
 6 suxerit : aurai pellucens simplicis igni.
 7 Contra acer : vappa est, et habet sub pectore vulpem.
 8 Non ovis est, at avis, quam Regibus editus ille
 9 Maecenas atavis tamen haud edat. Oedipe solve
 10 hunc gryphum, nam tunc conviva mereberis esse.
 11 Maecenas centum cenanti apponet alaudas.
 12 [Lacune]
 13 o ! At avis ! Cui nec similem Stymphalus alebat,
 14 nec vidit Phineus : vix par fuit illa Celaeno.
 15 Hic mihi sincerus, simplex ! Hic candidus ater !
 16 Candet parte tenus : partem color occupat ille,
 17 quem ferrugineum fornax Hecateia fundit.
 18 Esto aliquando foras suspecta eliminat, aut se
 19 rimosum simulet : quae vult secreta latere,
 20 non vino poteris, non extorquere culullis,
 21 sed neque vi magica, neque blanditiisque, minisque :
 22 non fastiditi si vasta volumina Molvae
 23 insulsosque jocos, et scripta legenda mineris.
 24 Apricus non est, qui promit inania verba.
 25 Seria custodit sexcentis abdita claustris.
- C17 v.1 Surrexit Gliscus multo spectatus ab usu :
 2 turpe, reor, mentem humanam, venalia ut exta,
 3 in patulo prostare foro. Traluceat Ancus,
 4 ut volet, et nudet costas ; prudentia caute
 5 plus loquitur quandoque silens. Superare tacendo

- 6 latratus sapiens, non irritare caninos,
7 sed sopire solet. Nolebat semper apertam
8 Pythagorae senis esse domum bonus incola. Magni
9 ostii firma sera est : digito compesce labella.
10 Nempe animus consul soli constare sibi vult.
11 [Lacune]
- C18 v.1 Ast aliud monstrum ; quid dicat Aruntius, audi.
2 Hujus dum nuper non cognitus ante, subirem
3 conspectum, minuit tenuis praesentia vatem.
4 Splendida narranti nullus respondeo famae ;
5 majorem fingunt simulacra impressa : minorem
6 deterior species mira exspectantibus offert ;
7 procerum, tristem, tetricum, similem que Severo
8 Sulpitio, qui non nisi bis ter risit in anno.
9 Accedit sermonis acor, non semper ad aures
10 mellitas factus, lambendaque sesama linguae :
11 quid ? Quod in agresti vultu ferus emicet Afer ?
12 Quid ? Quod ad incudem, quam principis aptior aulam !
13 Quid ? Quod inurbanus quon dam et subrusticus hospes ?
14 Ac nisi libertas hilaris sponte ora relaxet,
15 conviva Harpocrates ; igitur mirantur, et aiunt,
16 Hic ille Amphion ! Hic est Alemannicus Orpheus !
17 Nil supra vulgum facie resplendet in ista.
- C19 v.1 Contra alii, quos inter Heges, Gutpertius, Haymon,
2 Huppis, et frustra non Famigusta vocatus,
3 Ursinusque Ligur, fabroque Nagelius ortus,
4 intuitu primo quoque me, ceu sacra ferentem
5 Isidis, aut Cybeles mixto terrore verentur,
6 haerentemque notant circa praecordia Phoebum,
7 nec credunt omni positas sine numine rugas.
8 Quandoquidem veteres referam rubigine vultus.
9 Quales Roma tulit primis subjecta Tyrannis,
10 tempore quo rexit Latias Augustus habenas.
11 [Lacune]
- C20 v.1 Addunt Stemisius : nec ei Marpesius impar
2 Helveta : quem mutum piscem vos creditis esse,
3 si semel amovit Sigaei vincula freni
4 inceptique loqui, non fuis aestuat albis.
5 Ecce novem pandet mugitibus ora Timavus.
6 Impatiens ripae lingua est ; torrente rotatur.
7 Ilia quin etiam risu concussa protervo,
8 et latera aspicias alterno verbere tundi.
9 Tantum splenis habet ; sed haberet plus lacrimarum !
10 Quod plures optant : quidam cinerem
11 Atque salem inspergunt oculis
12 qualis lixivium !
13 Sanctius, utiliusque foret.
14 O lacrimae dulces, sacro Jordane petita !
15 Haec aqua faetentes animas lavat : hujus in amne
16 totus mergendus foret, istud quippe Menaetes
17 exoptat, claudusque Gyas, caecusque Cloanthus,
18 et Sagaris. Sic me socii defenditis ? Ohe !
- C21 v.1 Interea magno Forestius occipit ore.
2 Hic idem Momis invisus, quidquid agatur,

3 mite trahit senium : sed quod sperare timebam,
 4 caesaries nullis albescit tempora circum
 5 indiciis. Quodsi cygnis foret iste poeta
 6 charus, olorinas gestaret vertice plumas.
 7 Si credo auguriis, corvorum ex gente videtur
 8 esse (vel ex alto Corvini sanguine) vivat !
 9 Suspecto fraudem. Fugiens intercipit aevum
 10 et pudet esse senem propiore abeuntibus annis.
 11 Unguentis multi properos inducere canos,
 12 naturam violante dolo, creduntur ; hic arcet
 13 contra omnem morem quomodo ? Nullis
 14 utitur inventis, nullo ceromate. Battus,
 15 et Daxus juvenes tinxerunt arte capillos.
 16 Flavus heri, niveus nunc est ex unguine Daxus.
 17 Unde autem vires ?
 18 Aut qualiter Aesonis olim
 19 sic hujus macri tenues reparaverit annos
 20 graminibus Medea suis : aut nescio, quid sit.
 21 Creditur herbarum peregrinis stirpibus uti,
 22 vulgus ait (vulgus fingit) sunt germina Cafris,
 23 sunt Afris, sunt mille nuces regionibus illis,
 24 quas Batavae visere rates (sunt poma Draconis
 25 Hesperidum in nemore Aereo) bona Coccola radix
 26 a Brasilis veniens, Romanis nota togatis,
 27 qua Solis pascuntur equi, Lunaeque juvenci ;
 28 exemptusque lapis Capreae, quam Persia nutrit.
 29 Erratis Flocomas, inquit, erratis amici :
 30 prima Ceres unco terram dimovit aratro,
 31 prima dedit fruges, alimentaue mitia terris,
 32 prima dedit leges. Cereris sunt omnia munus.

C22 v.1 O utinam ante decem medius crepuisset aristas !
 2 Fregissetque suam curvato pondere spicam,
 3 ipse quoque incumbens falci matura metenti ;
 4 tunc maturus erat : tunc nullus hypocrita tristes
 5 fingebat vultus, vivumque vidensque cadaver.
 6 Conclamatus (abi !) plenus nidore sepulchri.
 7 Jam capulare tremens tantum non proximus umbris.
 8 Diris devoveo medicum, qui reddidit orbi.
 9 Quos ego ! sed motos praestat componere fluctus.
 10 Sta Ponsaldus ait, tu mortem optare poetae ?
 11 Pene tuum infelix nomen ! Sed prodere parco.
 12 Tu medico diras ? Cujus vel nomine in ipse
 13 usque fides ludunt (Geigerii in nomine)
 14 tantis laetitiis vir servato capite isto
 15 incessit, reliquo jam desperante senatu.
 16 Ut video, malle animam servare catellae,
 17 quam vatis : dignus celebris cui victima fias.
 18 Debebas illum potius sub cespite putrem
 19 eruere ad superos, et amicis reddere musis.
 20 Sed vivat, valeatque precor ! Vivitque, valetque.
 21 (Omnino : nec amet quenquam, nec ametur ab ullo.)
 22 Omnes hoc una mecum, puto, voce precantur.
 23 (Ut male sit cuncti jurata voce precamur.)
 24 Quae donat Lachesis : concessa relinquit fila
 25 (imprecor, haec tanquam nevisset aranea, rumpi)
 26 qui secus optarit, praecordia et ilia rumpat.

- C23 v.1 Atque his digressis Paperon sic farier infit :
 2 nescio Aristippo sit sanctior, an Epicuro ?
 3 Qui tamen, ut notum,
 4 nec macer est, ut ait. Semperne illudere nobis,
 5 principibusque viris ? Larvam
 6 exesumque canem specie mentitur inani
 7 ingentes humeros, quantos Titius - per
 8 jugera immaniaque insuper ossa
 9 non nuda obvelat pellis. Fallacis Omasi
 10 prominet umbo capax, et opaci tympana ventris
 11 tendit adeps : solo latrant jejunia vultu ;
 12 cetera pars grunnit mutato Elpenore major.
- C24 v.1 At non in sensum Mola conspiravit eundem.
 2 Nil vate hoc vidi frugalius. Ingemit escis,
 3 et dolet accumbens ; quadrantem
 4 ulli servire saginae
 5 saepius extra
 6 se rapitur, nostrique fori contagia spernit,
 7 absorptus majore gula. Divina videtur
 8 posse pati. : Divina loqui : divina capessit.
 9 Haec sapiunt. Contra Salaphras : rapiatur an extra
 10 se, nondum constat : sed adhuc sub iudice lis est.
 11 Intra se rapiat quod plurima, nemo negabit.
 12 Nec plures tauros absumpsit Cacus abactos.
 13 Quantus in aggestas patinas ! - - -
 14 Hinc cacostomachus : sed non de nomine Graio.
- C25 v.1 Longe aliam de me Grindmissius, atque Gerardus
 2 Idomeneus ; equidem pallens edisse videtur,
 3 ceu glandes : ac si caelestia pabula carpat,
 4 alteriusque dapes ignotas ruminet orbis,
 5 pertaesus nostri : pertaesus scilicet, inquit
 6 Muftius : a nulla dape, quod mireris, abhorret.
 7 Cauta tamen certos, quaedam violare recusant
 8 ora cibos. Alios terrebit aranea ponti,
 9 Grossus, adeps, atomus, cancer clypeatus, ab Indo
 10 flumine testudo, limax. Hic omnia glutit ;
 11 carius est illi quod rarius : ostrea, grylli,
 12 Polypus, anguillae, lumbrici, monstra marina
 13 sed maris Ionii : nam cetera
 14 Ranarumque pedes. Non felibus abstineat, si
 15 Hispanos inter versetur. Lutra, feraeque
 16 amphibiae sapiunt : et forsitan ex crocodillo
 17 ultima pars caudae (nil est pretiosius illa,
 18 ut perhibent, sapidas qui gustavere lacertas.)
 19 Et nihilum ex Nilo
 20 laudamus macros, et pinguibus utimur annis.
 21 Salve Evan !
 22 Strigosae pecudi porcus praefertur obesus.
 23 Pisa, fabas loquitur : sed Bacchanalia mandit.
 24 Juxta illum, si vis, bene facta tomacula pone,
 25 aut pernam, aut volucrem Numidam, Gallumque spadone
 26 [Lacune]
 27 quo longos digitos curvosque sit extensurus,
 28 in quae fercla vide. Rapiet, quod molle renidet,
 29 quod sapit, et nutrit. Lautaque proboscide surdum
 30 callosumque etiam queat irritare palatum

- 31 heu qualis facies, et quali digna tabella !
 32 Quae tot dissimulat strages, et damna macelli
 33 devorat interdum frendens, quantum tribus ursis
 34 sufficeret. Paucis sat multa : absumeret ipsos
 35 Triptolemi currus, omnesque Evisichtonis ollas ;
 36 dubito, pejorne Vitellus
 37 adque sibi sacram coquus Heliogabalus aram.
- C26 v.1 Denique, quid verbis multis opus, aspice vitrum,
 2 quot nodos habuit conflatae munus arenae :
 3 nec Meliboeus habet plures thorace ligatos.
 4 Sed neque Berkemi majores Alphesiboeus.
 5 Nec non a planta pedis et coxendice, adusque
 6 nodosus collum noster Raumontius
 7 capiti quoque Gordius haeret,
 8 vix major fuerit scyphus Herculis olim,
 9 aut Bitiae, madidique Pholi
 10 captivas hoc haurit aquas, coctaeque lacunam
 11 infundit Cereris : spumam juvat usque ruentem
 12 cernere, quos saltus det in aere, turbine quanto
 13 gyrum triticeae resonans trahat Iridis humor
 14 (Iridis ah novus hic quis Statius ?) et restagnet
 15 tam vasto spaciosa cavo ; vix anthlia distat
 16 nautica Belgarum. Qualis sentina levatur,
 17 aspice diducti quantus patet oris hiatus ?
 18 Faucibus aequari balenae credere possis.
 19 Dolia quot talis non evacuaverit Hydrus ?
 20 Intret in Oceanum : certet cum piscibus illis,
 21 qui choreas agitant pluviae praenuntia signa,
 22 vertendique maris, ventis ad bella paratis.
- C27 v.1 At quando serius unquam est ?
 2 Ut jurare queas te conspexisse Catonem ?
 3 Hic animis opus Aenea. Processit Achates
 4 Austrius in medium, violentaque dicta retorsit.
 5 Audi ! non ipsi vita est imitanda Catonis
 6 proposita, aut Scauri. Sed quando serius unquam ?
 7 Quando autem non est ? Etiam dum ludicra tactat,
 8 serius est. Animo forti quoscumque labores
 9 aggreditur ; quos nempe probat. Dic obsecro, quando
 10 serius ? Ut mecum reputo, vim nominis hujus
 11 non bene perspectam, pondusque videris habere.
 12 Serius, inquiero, num sit ? Non quaestio vana est.
 13 Exagitavit enim paetum, fumumque tabacci
 14 nuper, et explosit tanquam illaetabile virus,
 15 hippomanesque foret, Lethaei gurgitis haustus.
 16 Tune odio vero credas, an pectore ficto
 17 expressum in scena mimum ? Quis credat amanti ?
 18 Basta reponebat : modicum non sustulit usum,
 19 si recte memini, tantum damnavit abusum.
 20 An non adversum congestis nubibus ingens
 21 detonat, et valido assurgens movet arma lacerto !
 22 Serius at quando ? Quando non serius ? Ipsa
 23 praelia ranarum cum muribus aspera, dicas.
 24 Seria, et arcanis penitus stipata tremendis.
 25 Tu fortasse novum cantes Agamemnona ; cantes
 26 Aeacidem : pappus mediis mansurus in undis.
 27 Nascitur e tenui quoque Martis adorea culmo.

28 Sed quando serius unquam ?
 29 Quaeritur an sapias unquam bone Lentule. Quando,
 30 serius est ? Semper. Quando ergo est serius ? Olim ;
 31 Entheus horrorem cum toto corpore spirat
 32 fatidicus, tragicoque evincit crura cothurno.
 33 Serius hic unquam ? Quando tu serius esse
 34 incipies ? Tunc est, cum montis in ardua nisus,
 35 et satur a fundo turbatae Aganippidis haustu
 36 Empedocles Sophoclesque vomit : volscique poetae
 37 relliquias, rapidique eructat carminis aestum.
 38 Serius ? Insanis. Hoc testor serius. An sit
 39 magni opus ingenii, fastu corrumpere vultum ?
 40 Non omnes rugae sunt gratae. Quaedam odiosa est.
 41 Taediaque invertit gravitas squallore superbo.
 42 Serius hic vates est, an tantummodo torvus ?
 43 Quem tu Timonem, Brutumque requiris ab illo,
 44 qui mansuetarum colit otia blanda Dearum ?
 45 Torvus et austerus non uno stipite pendent.
 46 Cum torvo bellus non convenit ; at bene laetus,
 47 insons, et posito calamo, quandoque remissus,
 48 nulla supercilii laus est, pluteique tonantis.

C28 v.1 Ultima tentantur. Jam formidabilis Ajax
 2 surgit, et est saltem, qui sic defenditur, inquit,
 3 vanus adulator, palpumque obtrudere doctus ;
 4 mollia sub Latia praeconia vendidit hasta ;
 5 cum generosus adhuc vitales carperet auras,
 6 Memmius, et blandum Gallus submitteret aurum,
 7 tunc silvae, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
 8 tunc iterare lyram, nervisque ad metra reductis
 9 plaudere Francigenae, nomen que ad sidera ferre.
 10 [Lacune]
 11 illectus pretio census ad barbata sumpsit ;
 12 imbutaeque manus cordas tetigere sonantes.
 13 Claudius immensam regni revocatus ad urbem
 14 vix subiit fossam, nullum meus Alsata signum
 15 edidit, et tacitus pressit post funera laudes.
 16 Ullane marmoreo data sunt epicedia cippo ?
 17 Ullane sacratos deflevit naenia manes ?
 18 Ullane cum fuscis injecta est floribus oda ?
 19 Hic se non tenuit Franciscus Gambarara, natus
 20 Dilingae, genitore Italo, genitrice Sueva :
 21 falsum est, exclamat, contraque obnititur ingens :
 22 ignotum tentare virum non prava cupido,
 23 venalesque fides, nec nominis ambitus egit ;
 24 ut caneret, movit virtus, persuavit amicus,
 25 nec semel aut iterum : sed adurgens plus vice sexta
 26 hortator, precibusque monens, et jurgia miscens
 27 adjunctis sociis : ut ebur vocale resumptum
 28 incuteret, sumptisque comis de virgine lauro
 29 tam bene de musis meritum caput exornaret.
 30 At silet extinctum : pressitque in funere laudes.
 31 Nulla quidem saxis incisae signa querelae
 32 invenio. Quid tum ? Non omnis maeror ad ictum
 33 Lysippi scalpro utentis lapidescere debet.
 34 Scripta erat in saevam trabeata Philippica mortem.
 35 Delecta est : visumque fuit, minus esse dolendum.
 36 Vivit adhuc, qui sic vixit : non mortuus ille est,

- 37 sed cessit, corpusque animus mortale reliquit,
 38 mutavitque locum ; legatis ut sacer est mos.
 39 Quid faceret, cujus tu ingrata silentia cussas ?
 40 Noluit atratus plebeium intendere lessum
 41 irasci Parcisi, Libithinam tundere versu ;
 42 haec lyra communis : flentis flendique poetae.
 43 Mitius ingemuit : nec egebat nobilis umbra
 44 lamentis : virtus, ivit quocumque, secuta est.
 45 Ne dare verba putes, quaedam fragmenta supersunt.
- C29 v.1 En recito : verus Memii mihi nuntius ergo
 2 venerat, extinctum, fatoque extrema secutum ?
 3 Qui licet immeritum, quamvis regione remotum,
 4 et nunquam visum me sic complexus amabas,
 5 ut pia litares aegro soteria vati,
 6 nunc tamen ante jaces, nobisque trahentibus auras.
- C30 v.1 Hactenus Arcesilas (namque hanc objecerat hastam)
 2 laudibus auditis his exequialibus, amens
 3 confusus tergum vertit : quia cuspide fracta
 4 viderat errorem : vultus Mamurtius auxit,
 5 exclamavit enim non indignante corona :
 6 quid refert tales versus qua voce legantur.
 7 Armenus Hercynio Paperoni notus Ulysses
 8 obstupuit, crebroque pedem cum voce repressit,
 9 ceu qui improvisum
 10 [Lacune]
- C31 v.1 Jam serus Vesper longas extenderat umbras,
 2 et Calus, et Caeneus et Malphus abire parabant,
 3 cum rursus Cucuphas, quo nescio saucius ictu,
 4 ad coniventem Salgam conversus, ain tu,
 5 scribet adhuc molles Elegos tuus ille Petrarcha !
 6 Sic equidem aiebat. Sed qui pote ? Viderit ipse.
 7 Non sum sollicitus, pro quo et tam sollicitus tu.
 8 Ast olli metuo, subridens intulit hircus
 9 obliquum tortis. Satyrarum scriptor amarus
 10 idem sit lepidus tenerorum lusor amorum ?
 11 Terra prius stellas, silvas feret igneus aether.
 12 Non bene conveniunt, nidoque morantur in uno
 13 milvius et turtur ; pardo male junxeris agnum,
 14 aut vitulum, damamque lupo.
 15 Crassa solemus
 16 a liquidis : mollem a cantu discernere duro
 17 suadebit ratio. Non omnia possumus omnes.
 18 Certa nimis vox est, et numinis obtinuit vim ;
 19 cuique data est mensura sui finita : nec ultra,
 20 nec citra se ferre licet. Tunc Baudius ursit ;
 21 quid cum Papinio Nasoni, cumque Tibullo
 22 commune est Flacco ? Vel ei quo claret Aquinum ?
 23 An una eademque pharetra
 24 tela Jovis capiet, parvique Cupidinis arma ?
 25 Quare edice tuo : potius me iudice bella
 26 horrida, Teutonicas acies, totumque supinet
 27 Romanum Imperium, statuamque in calce relictam
 28 Tydeus, Hippomedon, Capaneus quaerantur in armis.
 29 Peligni vatis vineta intacta relinquat !

C32 v.1 Dixerat. Opponens contra sic Salga profatur :
 2 non credis, Baudi, secum pugnantia posse
 3 carmina diversi matura saporis eadem
 4 profluere ex vena ? Proprium aut sortita meatum
 5 quaeque putes, unoque neges manasse canali ?
 6 Atqui ego non dubito. Rem sic expende ; profundi
 7 observanda maris facies, quae fervet in alto
 8 pectore, ventorumque fides. An Caurus, an Auster
 9 Ira, an amor spiret ; tumeat dolor, anne voluptas
 10 fluctuet, an placido jaceat tranquilla sinu mens.
 11 Cordis namque fretum variis affectibus actum
 12 aestuat, et Scyllas saepe objicit, atque charybdes,
 13 et Brevia, et Syrtes. Maris est eadem atque hominis sors
 14 est vates quasi nauta sui. Tu prospice, quando
 15 grandibus utendum velis, parvaeque phasello.
 16 Denique Pegasidum quid suadeat aequor arandum,
 17 si vacat, Ismeno, Lernaque palude relicta,
 18 in Sulmonis aquas lusum deducere cymbam
 19 ingenii. In caveam pinum, Boreamque relega,
 20 stridentemque Eurum, atque animi compone tumultum.
 21 Nil trucibus Thebis, trucibus permittite Mycenis,
 22 solus amor motis aspiret flamina pennis,
 23 et trepidi luctus, et grati in amore dolores,
 24 tum ponenda manu, quae cocta bitumine tela
 25 Staius Ogygiis injecit turribus, aut quae
 26 Pisaeus Phlegyas ; et quae sensere Gigantes.
 27 Pro gravibus gaesis Ovidii breve missile punctim
 28 crinales vibrentur acus, scintilla oculorum.
 29 Talis, ubi tonitru sceleratum exterruit orbem
 30 Jupiter iratus, centenaque fulmina torsit,
 31 vindictae tristis satur, officioque peracto,
 32 nubibus egreditur piceis : iterumque sororis
 33 nuptae laetus adit mensam, nectarque resumit.
 34 Haud secus ignivomo consumptis sulphure diris
 35 in vitia, et nostro manifesta piacula mundo,
 36 Hipponacteo tetras hinc inde favillas
 37 spargenti, carmen succedat amabile, nullis
 38 sentibus hamatum, nec dente, nec ungue timendum.
 39 Undenis pedibus current ad gaudia ruris
 40 assueti versus, viso insanire petauro.
 41 Quique fricant, tondent, pugnant, medicantur, et urunt.
 42 Aeolio maneant tantisper carcere clausi.
 43 Quaeque prius tetigit summas aspergine nubes
 44 spumea, et exultans, mox subsidentibus undis,
 45 lactescat niveo mollis facundia rore.
 46 Non minor ars haec est, per singultantia verba
 47 affectus varios agili versare cylindro.

C33 v.1 Finierat. Pergunt furiis agitatus iniquis
 2 Baudius infremere, et Cucuphas, terram pede pulsans
 3 sicut equus (vel sicut equo jumentum affine)
 4 solvitque in verba salivam :
 5 nondum persuades, quidquid moliris ; ut illum
 6 Diique, Deaeque omnes ! Charites vis dicere ? Dirae
 7 Eumenides volui ; verum haec sententia nostra :
 8 seria fila nimis subtilia pro Satyrisco,
 9 et Satyris fures ducentibus, ac nebulones
 10 ad restim : quid enim restat, nisi denique restis ?

- 11 Rectius aequoreas discant torquere rudentes.
 12 Amphitrioniades, clavaque, suaque
 13 Pelle leonina, tunicamque indutus amatae
 14 femineam lenae : quamvis deducta caveret
 15 frangere pensa manu, tamen informisque, rudisque
 16 stamina continuo male sedulus omnia rupit.
 17 In risum spectans Iole resoluta, ferocem
 18 admonuit verbis nil proficientibus. Impar
 19 imparibus numeris erit hic quoque. Ludere textis
 20 nescit imaginibus de bysso : nescit amare.
 21 Nescit, quam graciles ductus elegeia requirat.
 22 [Lacune]
- C34 v.1 Irruat in pingues ; solita argumenta furoris
 2 imponat plaustris. Quot testamenta resignet
 3 Naevius, Imbrosiusque socer, patruusque Micepsa.
 4 Quot pupillorum tabulas mutaverit Annur
 5 jura quot haeredum, bonaque oblimaverit Herpus.
 6 Quot gener Eurytion ? Et tu Madorena bilinguis
 7 delator falso quot circumscripseris ore.
 8 Talia scrutari jubeam ; vel in acta referrem
 9 congestas Zuffi praedas : quot adultera conjux
 10 cingula possideat ; numeret, quot Cerberus offas
 11 expuerit, quando cunctantem, atque ora trahentem
 12 Taenario extraxit Victor Tirynthius antro.
 13 Scribat, quot muscas aestivo sole volantes
 14 impatiens captas mactet Golo : pulicibus quot
 15 retia Polidii socrus Marconia tendat.
 16 Quid Maurillus agat, cum nil agit, et quid agat, cum
 17 actum agit, aut asinum
 18 scribat de montibus, unde
 19 Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.
 20 Inquirat porro, quot latro squammeus ille
 21 Archemorum stringens cubitos aequaverit anguis ?
 22 Qua tela constet succinctae palla Megaerae ;
 23 ex qua materia rimosae texta carinae
 24 portitor infernus refici, et quo tempore curet,
 25 Quando instant plenis animarum examina ripis.
 26 Absolvat Proculi, Meniique, immane volumen,
 27 par Tubingano, si non est majus, ut aiunt
 28 in quo jactantes verboso praelia fastu
 29 factaque (vel facienda) futura ;
 30 et genus et proavos, et quae non fecimus ipsi
 31 nomina dant, titulumque gerunt, famamque merentur
 32 multum isti libro debent Aurantius, Haspis,
 33 et Gaulus, Gaulique gener, Strabotta, minorque
 34 Virnius, et Fesuli pater, et Tardona Syrisus.
 35 Si meliora petit, sequor, et caelestia monstro.
 36 Tempus in aetherios luctari fortius axes,
 37 demens funeream sibi non circumspicit arcam,
 38 cumque soporifera procurat lintea virga.
 39 Fata vocant. Instat lux ultima, tempora currunt
 40 praestiterit factis violento irrumpere caelo
 41 quam verbis implere forum, mulgere capellas.
 42 [Lacune]
- C35 v.1 Atque ita discessum est. Pronus ruit interea sol
 2 Oceano, nox atra cava circumvolat umbra.

3 [Lacune]

- C36 v.1 An nondum sentis mea quo collineet hasta,
 2 optime Sfondrata, et fratrum lux prima tuorum ?
 3 Me sequere auctorem, et praeter sine plurima labi.
 4 Crabronum stimuli sunt probra objecta : feruntur
 5 tam levibus pennis, quam nix : iterumque liquescunt.
 6 Sperne obtrectantes nec acerbum pasce dolorem.
 7 Multa potest tenuis difflare cachinus in auras.
 8 Si modo constanti rerum firmeris ab usu,
 9 et costas adamante liget patientia victrix.
 10 Quam miser est, quem nemo fugit, nemo odit aperte ;
 11 qui cunctis ad vota placet. Convicia malim.
 12 Nuper cum calvum te diceret esse poetam
 13 Sergius, et ficum digito monstrante vocaret,
 14 frendebas instar Calydonis peritus apri.
 15 Major Sergillum poteras sprevisse minorem.
 16 Qui cupit ulcisci, laesum se vile fatetur,
 17 Gaudiaque et laetas segetes male nutrit in hoste.
- C37 v.1 Ergo age, quantumvis immensa mole premaris,
 2 foedarumque avium tua fama subhaereat ungui,
 3 ut laceri plumis stillet labentibus aether,
 4 semper penna tamen spoliato linquitur una,
 5 scribere qua possis mutum vulgante dolorem,
 6 donec succrescant aliae, famaeque priori
 7 (sic poscit natura avium) reddaris, et alae.
- C38 v.1 Esto quoque ad vulgi vocem (quia fletus inanis,)
 2 et creperos plausus surda intractabilis aure,
 3 quodsi pulsatis foribus tibi gloria supplex
 4 offerat aut cristas, aut non ignobile sertum,
 5 intromite quidem, sed non in pectoris aulam.
 6 Musaeo pellex nocet interiore recepta.
 7 Tunc te felicem dices sine crimine, si nec
 8 terret Aristarchus, nec mulcet Chaerilus emptor.
 9 Supra fortunam est, qui non metuit fortunam.
- C39 v.1 Invenias homines mente alba, et moribus albis,
 2 quorum unum studium est, studiosis posse nocere.
 3 Hi nec agunt quidquam praeclari, et agentibus obstant
 4 ut saepe ignarus faeno canis incubat, et quo
 5 non fruitur, nulli permittit inutilis uti.
 6 Quid facias ? Parces nihilominus altior hoste
 7 non omnes digni sunt vulnere nobilis irae,
 8 ictericam satis est contemptu scalpere venam.
 9 Tunc exultabis, cum te velit esse sepultum
 10 ante necem, ridens quem ad fletum cogere possis.
 11 Quisque suum proprium est fatum sibi, quale facit, fert.
- C40 v.1 Jam nunc invidiae curandum trade Marocum,
 2 oblatrasse tuo nuper qui fertur honori.
 3 Invidia Siculi non invenere tyranni
 4 tormentum majus ; Phalaris nil atque Perillus
 5 pejus habent. Nam quid mugitum ferre juvenci ?
 6 Lentius exurit bos intra viscera clausus,
 7 torqueturque minus bovis intra viscera clausus.

C41 v.1 Haec ad Danubium, quo vir clarissimus anno
 2 Schorerus post lustra decem, trieteridas octo
 3 naturae impensas mortalem vivere vitam
 4 desiit, et placida compostus morte quievit.
 5 Tres inter reges, primi quod nomen habebat,
 6 implevit meritis, senium virtutibus auxit.
 7 (Quodque immane bonum est, et pluribus inconcessum)
 8 divitias, et opes caelo secum intulit una ;
 9 haeredemque Deum transcripto ex asse reliquit.
 10 Testamentum ingens ! Ex illo tempore gaza ;
 11 sicut in hoc nostro rarissimus aethere Phoenix,
 12 Ales sacra Deo est : unguis removete profani !
 13 Non licet addictas superis convellere pennas.
 14 Numinis haec avis est, fulvo Jovis alite major.
 15 Nam fulmen majus fert, et contempta minatur.
 16 Utcumque est felix, qui sic discedit in orbem
 17 ex hoc orbe novum, nullo ut maerore gravetur.
 18 Sarcina nulla premat. Quid vis ? Stant littore puppes.
 19 Diverso multum fato plerique recedunt.
 20 Heu ! Jacet in lecto maerens, et volvitur aeger
 21 indomitis stimulis morbi, dolor urget, et urit.
 22 Haeret adhuc animus fixus mortalibus arvis,
 23 atque opibus falsis. Non est mens conscia recti.
 24 Jus, vis, fraus, animi triplex tinctura fuerunt.
 25 Hinc lacrimae. Gemit ante thorum tristissima conjux
 26 (res incompositae) sparsos lacesata capillos,
 27 complorant nati, frustra solantur amici.
 28 Omnibus his curis liber Scenorerus, et intra
 29 semet collectus, nulloque interprete mortem
 30 intrepide affatus : salve ! terram pede pressit,
 31 astra manu rapuit, corpusque abjecit humandum,
 32 ut dormiturus vestem exuit, ac sopitur.
 33 Exstruite argenti cumulos, auroque potiti
 34 exornate domos, caeloque educite tecta.
 35 Linquenda est tellus, et fundus et hortus et uxor,
 36 et soboles, et quae sevisti poma, nucesque.
 37 Admonet occasus, qui nos praetermeat Ister,
 38 cum raptis secum fluviis excreverit ingens,
 39 fit minor, et salsis pelagi sorbetur ab undis.
 40 Nos sorbebit humus ; tandem dilabimur omnes
 41 in mare sicut aquae. Musae, Charitesque venustae,
 42 insontesque joci, Satyri, Satyraeque valete.